



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 De veritate locutionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

ARTICVLVS V.

Verum predicta locutiones sint verae.

Ad quātam sic proceditur. Videtur, quod predicta locutiones non sint verae. Cum enim dicitur: hoc est corpus meum, ly hoc est demonstrativum substantiae. Sed secundum predicta, quando profertur hoc pronomen, hoc, adhuc est ibi substantia panis, quia transubstantiatio fit in ultimo instanti prolationis verborum. Sed hoc est falsa, panis est corpus Christi: ergo hoc est falsum, hoc est corpus meum.

2. Praeterea: Hoc pronomen, hoc, facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles, quae sunt in hoc sacramento, neque sunt in ipsum corpus Christi, neque accidentia corporis Christi. Ergo hoc locutio non potest esse vera, hoc est corpus meum.

3. Praeterea, Haec verba (sicut dictum est) sua significatio efficiunt conversionem panis in corpus Christi. Sed causa efficiens praetelligitur effectui. Ergo significatio horum verborum praetelligitur conversionem panis in corpus CHRISTI. Sed ante conversionem hoc est falsa: hoc est corpus meum: Ergo simpliciter est iudicandum, quod sit falsa. Et eadem ratio de hac locutione: hic est calix sanguinis mei, & cetera.

Sed contra est, quod haec verba profertur ex persona Christi, qui de se dicit, Ioan. 14. Ego sum veritas.

Respondet dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod in hac locutione, hoc est corpus meum, haec dictio, hoc, importat demonstrationem re conceptam, & non re exercitam, quia tota ista locutio sumitur materialiter, cum recitatur profertur. Recitat enim Sacerdos, CHRISTVM dixisse, hoc est corpus meum. Sed hoc stare non potest, quia secundum hoc, verba haec non applicentur ad materiam corporalem praesentem, & ita non proficeretur Sacramentum: dicit enim Augustinus super Ioannem: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

Et praeterea ex hoc totaliter non evitatur difficultas huius quaestionis, quia eadem rationes manent circa primam prolationem, quia CHRISTVS haec verba protulit: quare manifestum est, quod non materialiter, sed significative sumebantur: & ideo dicendum est, quod etiam quando profertur a Sacerdote significative, & non tantum materialiter sumuntur. Nec obstat, quod Sacerdos ea recitatur profert, quasi a CHRISTO dicta. Quia propter infinitam virtutem CHRISTI, sicut ex contractu carnis suae vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas, quae CHRISTVM tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum, per omnia futura secula: ita etiam ex prolatione ipsius CHRISTI, haec verba virtutem consecrationis sunt consecuta, a quocunque Sacerdote dicantur, ac si Christus ea praesentialiter profert. Et ideo alij dixerunt, quod haec dictio, hoc, in hac locutione facit demonstrationem, non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, hoc est corpus meum, id est, significatum per hoc est corpus meum. Sed nec hoc stare potest, quia cum in sacramento, hoc efficiatur, quod significatur, non fieret per hanc formam, ut corpus Christi sit in hoc Sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo, quod est hereticum, ut supra dictum est. Et ideo alij dixerunt: quod haec dictio, hoc, facit demonstrationem ad sensum: sed intelligitur haec demonstratio non pro illo instanti locutionis, quo profertur haec dictio, sed pro ultimo instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit, nunc taceo, hoc adverbium, nunc, facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem. Est enim sensus, statim his verbis dictis, taceo. Sed nec hoc stare potest, quia secundum hoc, huius locutionis esset sensus, corpus meum, est corpus meum. Quod predicta locutio non facit: quia hoc sunt etiam ante prolationem verborum. Unde nec hoc predicta locutio significat. Et ideo aliter dicendum est, quod sicut predictum est, haec

locutio habet virtutem faciendam conversionis panis in corpus CHRISTI. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quae habent solum vim significativam, & non faciendam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quae est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi, quae est acceptiva a rebus. Nam voces sunt signa intellectuum secundum Philosophum.

* Et ideo sicut correctio intellectus practici non praesupponit rem conceptam sed facit eam: ita veritas huius locutionis non praesupponit rem significatam, sed facit eam, sicut enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Haec autem conversio non fit successively, sed in instanti, sicut dictum est. * Et ideo oportet quidem intelligere predictam locutionem, secundum ultimum instans prolationis verborum, non tamen ita, quod praesupponatur ex parte subiecti, id quod est terminus conversionis, scilicet, quod corpus CHRISTI, sit corpus CHRISTI, neque etiam illud, quod fuit ante conversionem, scilicet panis, sed id quod communiter se habet, quantum ad virtutem, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt haec verba, quod corpus CHRISTI sit corpus CHRISTI, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, hic panis est corpus meum, quod esset secundum intellectum secunde opinionis: neque, hoc corpus meum est corpus meum, quod esset secundum intellectum tertie opinionis, sed in generali hoc est corpus meum, nullo nomine apposito a parte subiecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi, sine qualitate, id est, forma determinata.

Ad primum ergo dicendum, quod haec dictio, hoc, demonstrat substantiam sed absque determinatione propria naturae, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod hoc pronomen, hoc non demonstrat ipsa accidentia, sed substantiam, sub accidentibus contentam, quae primo fuit panis, & postea est corpus Christi. Quod licet non in formetur his accidentibus, tamen sub eis continetur.

Ad tertium dicendum, quod significatio huius locutionis praetelligitur rei significata ordine naturae, sicut causa naturaliter est prior effectui. Non tamen ordine temporis, quia haec causa simul habet secum suum effectum. Et hoc sufficit ad veritatem locutionis.

COMMENTARIVS.

Materia huius articuli superius disputatione tractata a nobis est, quia est communis utrique formae huius Sacramenti, & ibi explicitum est etiam hunc articulum. In quo D. Thom. primum rejicit opiniones asserentes, vel verba harum formarum referri tantum materialiter, vel pronomen (hoc) demonstrare id, quod significatur per panem, vel demonstrare corpus CHRISTI absolute & simpliciter: ac tandem concludit, locutiones esse veras & effectivas suae veritatis: & in eis pronomen demonstrare contentum sub speciebus. Quae omnia in superioribus explicata sunt. Et iuxta supra dicta intelligenda sunt, quae D. Thomas dicit in solutione ad 1. demonstrari, scilicet per pronomen (hoc) substantiam sub accidentibus contentam, quae primo fuit panis, postea corpus CHRISTI: non enim est intelligendum, signare rem aliquam communem: nec solum rationem communem: sed rem singularem sub ratione communi, & ita quoad hanc rationem communem dicitur substantia contenta, prius fuisse panis, deinde corpus CHRISTI, non vero quoad rem, quae in termino actionis demonstratur.

